



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui in cautè iuauerint. xviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De iuramento Herodis. Cap. XVI.*

**C**VM iuramento pollicitus est Herodes saltatrici dare quodcumque postulasset ab eo. Si ob iusiurandum fecisse se dicit: si patris, matrisque interitum postulasset, facturus esset, an non? Quod in suis ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit, & in propheta.

*Ex dictis Hierony.*

*De illis qui odium sempiternum inter se iuramento firmaverint. Cap. XVII.*

**Q**VI sacramento se obligauerit, ut litiget cum quolibet, ne ad pacem ullo modo redeat, pro periurio, vno anno à corpore & sanguine domini segregetur, & reatum suum ieiuniis & eleemosynis absoluat: ad charitatem verò, quæ operit multitudinè peccatorum, celeriter redeat.

*Ex concil. Hilerdè. cap. 6.*

*De illis qui incautè iurauerint. Caput XVIII.*

**S**I aliquid fortè nos incautius iurasse contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, illud consilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm profecto iuramento in aliud crimen maius esse diuerrendum.

*Ex decret. Sotheris pap. ca. 3.*

*Qualiter sacerdotes iurare debeant. Caput XIX.*

**C**Ornelius episcopus, Rufo coepiscopo in domino salutem. Exigit dilectio tua, frater charissime, ut ex auctoritate sedis apostolicæ, tuis deberemus consultis respondere. Quòd licet non prolixè, sed succinctè agere festinarem, propter quasdam importunitates quæ nostris præpedientibus peccatis in nos superuenere, tuis tamen per reliqua sanctorum patrum instituta studiis perquirere latius, & inuestigare committimus. Non enim potest mens attrita & oneribus, atque importunitatibus grauata, tantum boni peragere, quantum delectata & oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, ut hæc & alia quæ necessaria fore cognouerimus, tuæ sanctitati velimus denegare: sed quod hic minus inuenitur, latius perquiratur. Sacramentum autem hæcenus à summis sacerdotibus, vel

*Ex epist. Cornelij pap. cap. 3.*